



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione

Eusebius <Caesariensis>

[Augsburg], 1522

VD16 E 4299

Quod multi conueniunt etia[m] alieni de ueritate historiæ. Cap. iij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34477

tibus a deo p̄potentes, ut Musæo iudæorū duci uiro deo cōiunctissi-
mo, Soli resistere posse a cunctis Aegyptijs iudicati sunt. Multas
enim calamitates, quas Musæus Aegypto intulit soluere uisi sunt.
His uerbis, Numenius & miraculis a Mose factis, & quod Deo cō-
iunctissimus esset Moses attestatur. Sed iudæicæ gentis Chorylus
etiam Poeta priscus meminit, & multos eorum cum Xerxe in Græ-
ciam militasse affirmat. Porphyrius autem in primo de philosophia
resp̄osorum, Apollinē ipsum inducit de Iudæis hoc oraculum ædī-
disse. Attendere inquit oportet, quoniam omni diuina repletum sa-
pientia est oraculum Apollinis, quod dicturus sum.

Dura uia illa nimis æratis clausaq; portis.

Quæ uitam nobis aperit donatq; beatam.

Nec uero uerbis facile enarrarier ullis

Exponiq; queat, illo quo semita ducit.

Quam primi ante omnes cœperunt tradere pulchras.

Qui Nilī epotant lymphas, phœnicibus inde

Proximaq; assyrijs ea cura, sed inclyta longe

Gens hebræa illam nouit, notamq; recæpit.

Et subiicit exponens. Ita uiam ad deum a Barbaris inuentam fuisse
didicimus ab Aegyptijs scilicet atq; Chaldæis, ij enim Assyrij sunt,
& maxime a Iudæis. Idem Apollo etiam quodam oraculo apertissi-
me demonstrat his uerbis.

Chaldæis quæ uera esset sapientia tantum,

Hebræisq; ipsis concessum agnoscere pura,

Aeternum qui mente colunt regemq; deumq;.

Sed de Iudæorum pietate atque philosophia hæcenus dictum est.

Quod multi conueniunt etiam alieni de ueritate historiae.

CAPVT III.

DE historia uero Hebraica ueritate dicenda conscripta, q̄/
multi conueniant modo consyderemus. Cum igit̄ Mo-
ses diluuium diuinitus illatum conscribat, a quo Noe cū
suis arca lignea euasit, Berosus Chaldæus, Hieronymus
Aegyptius, & Nicolaus Damascenus hystorici eadē de re, ut Iose-
phus in primo antiquitatis Iudæicæ scribit meminere. Scribit em̄

v ij Nicolaus

Nicolaus in nonagesimosexto libro super Niniada magnum montem esse in Armenia Bari appellatum, quo multos temporibus diluuij cōfugisse, ac nonnullos arca uectos in cacumina montis applicuisse, lignaq; arcae illius longo temporis spacio postea perdurasse, unde Bituminæ ablato & expiationes, ut Berofus ait, homines uti solent. Hac Iosephus, Ego autem ab Abideno hystorico nonnulla tibi transcribam, Siffithrus inquit principatum, deinde accepit, cui Saturnus magnam uim aquarum futuram significauit. Quare saluare se cupiēs, ad Armeniam nauigio confugiebat, sed aquaē ipsum in uia opp̄sserunt. Tertio autem die postquam aquę cessarunt, aues emisit, ut per eas sciret sicubi terra extaret, quæ cum omnia pelagi facie tegerent ad Siffithrum, nullibi enim consistere poterant, reuertē se sunt. Post aliquot dies similiter factum fuit. Tertio emissæ reuertē ad eum fuerūt limo pedes refertæ, & tunc dii ab hominibus Siffithrum rapuerunt. Nauis autem adhuc inuenit̄ in Armenia, cuius magna remediū hominibus aduersus multos mirabiliter morbos afferunt. Rursus cum primos homines Moses lōgis temporibus uixisse asserat, huius rei testes Græcorum hystoricos Iosephus citauit, Nul- lus inquit breuitatem uitæ nostræ consyderans, falso scribi opinet̄, tam magno annorū numero priscos uixisse. Illi enim deo amici, & ab ipso immediatius producti, & integriore utentes alimēto, quod longiore tempore poterat permanere, non iniuria longioribus temporum spatijs uiuebant. Præterea etiā uirtutis gratia, & ut respo- steris perutiles, Astrologiam, Geometriamq; inuenirent, longa sibi diuinitus uita largita fuit, quæ inuenire nō potuissent, nisi saltem sexcentis solaribus annis, quibus magnus annus reuoluit̄ uixissent. Cuius rei testes sunt omnes simul Græci atq; Barbari, q̄ de antiquitate diligentius conscripserunt. Nam & Manetus qui Aegyptiorū, & Berofus, qui Chaldæorum hystoriam collegit, Molus præterea estieus, Hieronymus ægyptius, & qui Phœnicam hystoriam tradiderunt. & ad hos Hesiodus Hecatæus, Elanicus, Acusilaus, Ephorus, ac deniq; Nicolaus consona nostris dicētes mille annos priscos illos uixisse affirmant. Hac Iosephus, De turris ædificatione scripsit Moses, & ab una lingua in multas tunc hominum genus confusum fuisse asserit. Et Abydenus his ybis illi attestatur. Primos homines
ferunt

ferunt, & terra natos robore atq; magnitudine confisos, dijs spretis, turrin eo in loco ubi nunc Babylon est, ad Solem usq; tollere contendisse, cumq; iam fere ad coelum aedificando peruenissent, uim uentor; dijs affuisse, qua sup eos diruta turris cecidit, cumq; ad ea usq; tempora unius linguae fuissent, multas in linguas diuisos fuisse, bellumq; inter Saturnum & Titanum tunc inceptum, locumq; Babylonis nomen habuisse propter confusionem linguarum, quam Hebraei Babel uocant. De turri autem & confusione linguarum etiam Sibylla meminit dicens, Cum omnes uno uterentur sermone, turrin aedificare constituerunt, qua in coelum ascenderent, eam dii uentis diruerunt, & lingua hominum mirabili uarietate confusa effecit, ut Babylon ea ciuitas uocaret. De campo autem, qui Senaar appellatur Ekticus sic memorat. Sacerdotes inquit qui euaserunt, Ioui sacra in Senaar Babyloniae contulerunt, confusaq; lingua hominum, diuersas orbis partes habitare coeperunt, Moses rarius uitam Habrae late conscripsit, cui multos exteriores hystoricos attestari Iosephus his uerbis conscripsit, De patre autem nostro Habraam, quis non nominat, scribit tamen Berofus ita, ut a rebus ipsis non de alio quam de ipso dicere uideatur. Decima inquit post diluuium generatione, praclarus quidam iustusq; uir, & singulari caelestium doctrina praeditus apud Chaldaeos fuit. Hecataeus quoque librum de Habraam conscriptum reliquit. Nicolaus etiam Damascenus in quarto hystoriarum haec narrat, Damasci Habraamus regnabat cum exercitu a Chaldaea profectus, nec multo tempore post etiam a Damasco abiens ad Cananeam, qua modo Iudaea dicitur migravit, cui nomen etiam nunc magnus apud Damascenos est, uillaeq; ibi demonstratur, Habraam domus appellata. Verum cum fame Cananea premere, aegyptus quoque magna copia rerum effluere diceretur, libenter illo, ut etiam Aegyptii sacerdotes de dijs dicentes audiret, cum suis profectus est. Aut enim aliquid ab illis discere, aut meliora se traditurum ipsis arbitrabatur. Et post pauca. Cumq; una cum peritissimis Aegyptior; uersaretur, & uirtutem & gloriam suam multo clariorem effecit, Aegyptijs enim diuersis uiuentibus moribus, & alijs aliorum mores obscenis prosequentibus uerbis, ille semper quae in absentes dicebant, falsa esse demonstrans respuebat. Unde factum est, ut tanquam grauem sapien-

v iij temq;

temq; uirum admirati, tam ad intelligendum, q̄ ad persuadendum
 quod uellet paratissimum duceret, ipse ꝑ Astrologiam & Astro-
 logiam eos docuit. Nam ante aduentum eius nihil harum rerum sci-
 ebant Aegyptij, sed a Chaldaeis in eos, unde in Graecos quoq; disci-
 plinae istae affluerunt. Haec Iosephus. Alexander autem hystoricus,
 qui multarum rerum peritiā habuit, in uolumine de Iudaica hysto-
 ria Eupolemon ait haec de Iudaeis scripsisse. Ciuitas inquit Babylon
 ab his condita primum fuerat, qui a diluuiō euaserunt. Quos omnes
 gigantes fuisse constat sparsos per uniuersam terram, postquā tur-
 ris quam aedificabant diuinitus concussa decidit. Decima uero ge-
 neratione in Camirine Babyloniae urbae, quam alij Vrien dicunt,
 quod nomen latine Chaldaepolim significat, natus est Habraam,
 qui sapientia omnibus excelluit, a quo Astrologia fuit apud Chal-
 daeos inuenta. Is iustitia pietateq; sua sic deo gratus fuit, ut diuino ꝑ-
 cepto in Phoenicem uenerit, ibiq; habitauerit, & rationem non so-
 laris motus atq; lunaris, aliaq; Astrologia Phoenices docuerit, unde
 Phoenicum regi gratissimus fuit. Sed cum Armenij temporibus su-
 is bello Phoenices uicissent, forte factum est, fratrualem etiam eius
 captiuum abduxerunt. Habraam uero uernas suos armauit, factosq;
 impetu fudit fugauitq; armenios, nec fratrualem solum liberauit,
 uerum etiam magnam ab hostibus praedam habuit. Qua de re lega-
 ti ad eum pro captiuis ab Armenijs missi. Ille autem omnem oblatā
 recusauit pecuniā, sumptisq; solummodo, quae ad uictum pertine-
 bant, captiuos humanissime reddidit. Cum uero ab eo bello Habra-
 am rediret in urbe Algarixa, id est latine in monte altissimi a Mel-
 chisedech dei sacerdote ciuitatisq; illius rege hospitaliter susceptus,
 magnificis fuit donatus muneribus. Et post pauca. Annonae autem
 charitate oppressus, in Aegyptum migravit, ubi uxorem eius, quā
 sororem & uiduam esse dicebat, rex Aegyptiorū abduxit, sed peste
 domum eius ingressa, ab aruspibus didicit, id mali sibi accidisse,
 quoniam alienam uxorem abduxerit. Ita uiro suo intactam reddi-
 dit mulierem. Vixit autē Abraam in Heliopoli cum sacerdotibus,
 a quo Astrologiam sacerdotes didicerunt, qui tamen non inuenit
 se, sed ab Enoch per successionem sibi traditam fatebatur. Subiun-
 git deinde primum, secundum Babylonis Belum regnasse, quem la-
 tine

tine Saturnū dicimus, a q̄ Belus secundus, & Chanaam orti fuerūt, atq; a Chanaam patrē Phœnicum natum fuisse, qui genuit Chum. Hunc ait Chum Asbolum appellari a Græcis, ac Aethiopum patrē & fratrem Mestram patris Aegyptiorum fuisse. Græci autem inquit Atlantem aiunt Astrologiam inuenisse, Sed Atlantiē & Enoch eundem asserit fuisse. Enoch porro inquit genuit Mathusalem, qui ab angelis dei multa cognouit, & cæteros docuit. Artapanus uero hystoricus Hermuit iudæos dicit appellatos fuisse, & Hebræos ab Habraamo dictos, quem ait ad Pharethatem Aegyptiorum regem migrasse, & astrologiam illi tradidisse, ac post uiginti annos in loca Syriæ rursus rediisse. Melo autem in libris, quos aduersus iudæos conscripsit, post diluuium inquit ab Armenijs reliquias diluuij, quæ ad eos peruenerūt pulsas, montana Syriæ, quia deserta erāt occupasse, & post tertiam generationem Habraamum natum fuisse, quod nomen patris amicum significare asserit, eumq; sapientissimum ait fuisse, duasq; uxores duxisse, alteram Aegyptiam, alteram indigenam, suscepisseq; ab Aegyptia, quæ ancilla erat, filios duodecim. Arabiam obtinuerunt uniuersam, unde ad hæc usque inquit tempora duodecim regibus Arabum populi reguntur. Ab indigena uero inquit uxore unum habuit filium Isaac, quem latine risum appellare possumus, a quo duodecim similiter filij nati sunt, quorum ultimum Ioseph appellauit, a quo tertius Moses fuit. Ad hæc Alexander hystoricus addit præcepto dei ab Habraamo, in montem quendam ductum Isaac fuisse ad sacrificium, diuinitusque a tali sacrificio ereptum, arietemque qui repente astitit pro eo sacrificatum fuisse. Iosephus etiam in primo de antiquitate iudaica, quod Affrem Habraæ filius Libyam occupauerit, ac ab eius nomine illa regio Africa appellata sit. Alexander inquit in omni peritissimus hystoria his uerbis testatur. Cleodemus inquit propheta, qui & Malchas dicitur, non aliter fere quam Moses de Iudæis scripsit. Is Achetura multos Habraamo fuisse filios narrat. Quorum tres nominat Afer, Assur, Afran, & Assyriam, ab Assur dictam contendit. Ab Afran uero atque Afer, urbem Afran, & regionem Africam appellatam. Sed de Habraamo hæcenus. De Iacob autem idem Alexander dicit. Cum septuaginta

septuaginta quinque annos natus esset in Mesopotamiam, parentum iussu fugisse, ut iram fratris Esau uitaret, reliquissetque parentem Isaac centum & triginta septem annos natum. Et postquam septem annis in Mesopotamia fuit, fratris materni filias Lian & Rachel duxisse, ac in alijs septem annis duodecim filios suscipisse, quorum non modo nomina, uerum etiam menses in quibus nati fuerunt, memorat. cumque redire ad patres uellet, rogatum a Laba alios sex annos permansisse. Ita uiginti annis illum in Mesopotamia uixisse, redeuntemque ad Chanaam, cum angelo dei fuisse colluctatum, unde non Iacob, sed Israelem appellatum, habitasseque ipsum apud Hemor annos decem, & a Sichen filio Hemor Dinam decem quatuor mensium raptam fuisse. Quare Symeon uiginti & unum annos ac menses quatuor natum, & Leuim annos uiginti & menses sex commotos. Hemor & Sichen filios eius, ceterosque omnes mares interfecisse, multis deinde locis mutatis, tandem in Ephrata, quam etiam Bethleem appellat uenisse, ubi Rachel postquam ei genuit Benjamin mortuam fuisse, quam cum Israele coniunxisse annos uigintitres. Inde ab Ephrata in Mambri ad parentem Isaacum redisse. Tunc Ioseph decem & septem annis natum, Aegyptijs ueditum fuisse asserit, & carcerum uincula tresdecim annos perpeffum, somni regij declaratione liberatum, septem annis Aegyptum gubernasse. Isaacum uero anno uno ante uenditionem Ioseph, centum & octuaginta natum annos diem suum obiisse. Ioseph deinde in Aegypto Afeneth filiam Petheferi sacerdotis in uxorem duxisse, ac duos Manassem & Effrem natos, ab ea suscipisse, & post annos nouem postquam in magnum peruenit statum, patrem ac fratres in se aduocasse. Pastores enim omnes illos fuisse, quae res Aegyptijs turpissima uidebatur, ac ideo tandem uocatos docuisse, ne si a rege interrogarentur de artificio suo, pastores se dicerent. Quaestionem etiam mouet, quare in prandio quinculpas Benjamin germano suo partes apponi Ioseph iusserat, quod ideo factum affirmat, quoniam septem filios Lyapatri eius pepererat, Rachel autem mater sua deos, propterea Benjamin quinque partes dedisse, & ipsum duas accepisse, ut septem etiam ipsi partes, quot & Lyae filij haberent, ne domus matris suae minor uideretur. Habitasse autem eos in terra Chanaam annos ducentos & quindecim, Habraam uiginti quinque, Isaac

sexaginta

sexaginta, Iacob centum triginta. Cumq; iam tertio anno fames omnes illas partes depopularetur, migrasse in Aegyptum Iacob annos centum & triginta natum. Aetatem deinde omnium filiorum Iacob, quam transmigrantes habebant conscribit, fuisseq; affirmat ab Adam usq; in migratione Iacob in aegyptum annos tria milia sexcentos uigintiquattuor. A diluuiio uero annos mille trecentos quadraginta, mortuumq; fuisse Iacob in aegypto annos natum centum quadraginta septem. Leuim autem centum & triginta septem annorum naturae concessisse, filiumq; reliquisse Elath nomine annorum quadraginta, a quo natum esse alterum Habraam, in cuius aetatis anno quartodecimo Ioseph diem suum in aegypto obiisse natum annos centum & decem. Habraam deinde hunc pastorem duxisse uxorem Lochabeth auunculi sui filiam, & in septuagesimo septimo aetatis suae anno Aaron & Mosem ab ea suscepisse, inter quos tres annos interfuisse dicit, mortuumq; fuisse Habraam natum annos centum & triginta sex. Haec ab alexandro sumpta sufficiant. Theodotus autem elegantissimo carmine gentis Iudeorum hystoriam conscribens haec eadem de Iacob, & de filiis suis, & de Ioseph conscripsit. Artapanus similiter & Phylon non Iudaeus in. xiiij. de hierosolymis, ipse q; carminibus similia de Iudaeorum maioribus testatus est. Aristaeus autem in Iudaica hystoria de Iob quoq; conscripsit, dicens Esau ipsum filium fuisse, habitasse in Idumaea atq; arabiae sinibus, fuisseq; ipsum & iustitia & diuitijs principum, reuerentiaq; diuinitus magnis calamitatibus fuisse. Primum enim armenta eius latrocinio sublata, deinde septem milia ouium una cum pastoribus perisse, & postremo filios eius domo super ipsos lapsa expirasse, atq; uno eodemq; die corpus eius uniuersum ulceribus repletum fuisse. Cumq; male ita affectus esset Eliphaz Cemanitarum regem, & Valdad Saucheorum tyrannum, & Sopham Mineorum regem, & Eltum z obitem ad consolandum ipsum accessisse, quibus Iob respondisse sponte sua se paratum esse omnia ita sufferre, ut a pietate in deum nunquam remoueatur. Ita propter hanc magnanimitatem eius liberatum a morbo & ditiores quam prius factum diuinitus fuisse. Nunc Eupolemum de Mose audiamus. At enim sapientissimum hominem Mosem fuisse, & literas Iudeis primum tradidisse, & a Iudaeis Phoenices accepisse, Graecos uero a

x Phoenici/

Phoenicibus. Artapanus autem Merin Chenephrim aegyptiorum filiam regis ait puerum, quoniam ipsa non pareret Iudaeum adoptasse, quem Iudaei Mosem inquit Graeci Musaeum appellant, cuius doctrina multa Orpheus didicit. hunc Mosem instrumenta bellica inuenisse affirmat, literas quoque quas sacerdotibus tradidit, aegyptiorumque urbem in sexdecim partes diuisisse, ac singulis praefectos instituisse, quae omnia uidelicet fecerat, ne populi, ut solebant, conspirantes modo hunc, modo illum regno expellerent. Unde factum esse ait, ut quasi deus ab aegyptiis coleretur, & propter literarum inuentionem Mercurium appellatum. Quibus rebus Chenephrim inuidia commotum, causam interficiendi Mosi quaesiuisset, & sic aduersus Aethiopas in aegyptum irruentes, cum imperio ipsum misisset, exercitumque sibi a Iudaeis maxime conscripsisset, ut propter imperitiam militum una cum eis periret. Quod bellum, ut ab Heliopolitanis accipisse asserit, decennio gestum fuit, & propter diuturnitatem eius ciuitatem in eo loco conditam, ubi sedentes, aethiopum impetu sustinebant, quam Hermopolim inquit, id est Mercurij ciuitatem appellant. Ibi consecratam, sibi primo fuisse, quoniam nocentes interficeret serpentes. Aethiopas autem admiratione uirtutis ita Mosem coluisse, ut etiam circuncisionem ab eo didicerint. Ita peracto bello cum uictor redisset, uerbo quidem a rege bene susceptum, re autem quotidie mortem illi quaesitam, ac insidias multis modis paratas, maxime cum ad Merida matrem ultra aegyptum in aethiopiae sinibus sepulchram ex precepto regis proficisceretur, a nomine cuius urbem, ubi sepulta fuit Meroen appellatam: nec minus quam ibi cultam fuisse. Quae cum Moses percepisset in arabiam, ilico profugisse, & Raguelis arabiae regis filiam in uxorem duxisse. Interea Elephantiae morbo, quoniam multis modis Iudaeos premebat, aegyptiorum regem expirasse. Ad alia enim opera, quae ipsos construere iussit, diuersam etiam quam aegyptij uestem induij uoluit, ut facilius cogniti, ab omnibus tanquam inopini uerentur. Mosem autem a deo quotidie liberationem populi petere, & quodam die repente coram eo ignem e terra, ubi nulla incendio apta materies erat, subito erupisse, ac uocem editam fuisse, liberandos sibi esse Iudaeos, & in antiquam patriam conducendos. Hac re fractum prius quam exercitum comparasset, ad regem aegyptiorum Soceri consilio

consilio descendisse, dixisseque orbis domini iussu liberandos esse Iudeos. Quo audito in carcerē ipsum fuisse intrusum, unde nocte custodibus mortuis, & repente portis patentibus, armisque omnibus, quæ ibi fuerant fractis exiuisse, rectaque uia in regiam usque ad regis cubiculum ianuis apertis ad ipsum regem intrasse, interrogatumque a stupente rege, quod nā esset dei nomen, a quo missus esset. Cumque a ceruicibus inclinatus, Moses in aure sibi dixisset, audientem mutum cecidisse, & a Mose suscitatum fuisse, scripsisse quoque ipsum nomen dei in Tabula dicit, quas literas cum nonnulli sacerdotum deriderent, legere nescientes, spasmo ait omnes exspirasse. Tunc etiam signum rege petente baculum a Mose in serpentē conuersum, omnibusque magno timore perculsis, a cauda captum draconem, in baculum rursus conuertisse. Deinde Nilum baculo percussum abundasse adeo, ut uniuersa Aegyptus summersionem timuerit, singulisque annis ex illo tempore similiter abundaret. Postea cum aqua rursus baculo percussa in aluenum suum redisset, animalibus in fluuio cunctis morte corruptis, magno fetore aquam ita oluisse, ut Aegyptij siti & pestilentia simul laborarent, regem autem perterritum inclinatum iam fuisse ad dimittendum populum. Sed Memphiticis sacerdotes uocatos morique iussos, nisi aliquod signum ipsi etiam aderent, magicis artibus dracone productio, & fluuij colore mutato effecisse, ut elatis rex, atrociter Iudeos tractaret. Tunc a Mose terram baculo percussam, muscas uenenosas, deinde rursus percussam ranas, locustas, aliaque huiusmodi monstra produxisse. Vnde apud Aegyptios ubique in templo Isis baculum deponitur atque colitur. Terram enim Isis esse, quæ baculo percussa, monstra producebat. Tandem cum grandine percuteretur, & terramotu Aegyptus uniuersa quateretur, quo domus & templa multa ceciderunt, perfractum calamitatibus regem Iudeos liberasse, quos ab Aegyptijs argentea, aureaque uasa, uestem, ac aliam gazam mutuo accepisse, ac tertio die postquam recesserunt, in mare peruenisse. Dupliciter deinde rem fuisse dicit. Memphitas enim dicere, cum magnam locorum Moses haberet peritiam, refluxum maris obseruasse, ac ita cum populo transiisse. Heliopolitas autem propter gazam, quam Iudei mutuo abstulerunt, regem commotū

magna manu in Iudeos profectum fuisse. Mosem quoque percussisse baculo mare, ut caelesti uoce admonitus fuit, & sic diuiso mari transisset. Cumque post Iudeos persequerentur Egyptum, tum fulminibus, tum refluentibus aquis percussisset, Iudeosque liberatos annos triginta in eremo uixisset, quasi niuem deo quotidie illis plente, qua nutriebant. Mosem autem longum ait fuisse, flauum canum, prolixiore capillo ac barba, & denique statura & facie dignitatis permagna, omnia quoque ipsum absoluisse ait annos natum octuagintanovem. Ezechielus etiam poetam uniuersam Iudaeorum hystoriam carmine moreque tragico scripsit, & in omnibus fere cum diuina scriptura conuenit. Et Demetrius hystoricus similiter, qui dicit Mosem ex aegypto in Madiam profugisse, ac ibi Iothoris filiam Sophorem nomine in uxorem duxisse, quam coniectura a nominibus capta, ex Habraam genus traxisse affirmat. Habraam enim ex Thetura lessan genuisse, & ex lessan natum fuisse Adam, a quo Raguel, ex Raguele uero Iothor & Bab, & Iothoris filiam Mosi nuptam fuisse. Generationes quoque ait ita conuenire, ut uerisimile sit Semphoram, & Mosem, & Habraam descendentes eisdem temporibus fuisse. Mosem enim septimum, Semphoram autem ab Habraam sextam fuisse, & Madiam urbem ab uno filiorum Habrae nominatam fuisse. Eupolemus uero Mosem ait. lx. prophetasse annos, Iosuae autem. xxx. & uixisse centum & x. tabernaculum ab eo in Silo fixum fuisse, & post eum Samuelem prophetasse, a quo iussu dei Saulem ad regendum electum regnasse annis. xxi. Post eum Dauid filium Cis, a quo Syros & Phoenices usque ad Euphraten domitos fuisse. Idumaeos etiam Ammanitas, Moabitas, Itureos, Nabataeos, Nabdeos, Suronemque. Tyri, ac Phoenices regem bello coactos, tributa Iudaeis contulisse, eisque petenti locum fuisse diuinitus monstratum, ubi templum esset edificandum. Angelum enim uidisse in eo loco stantem, ubi altare postea conditum fuit, cui angelo nomen Dianathan fuisse, a quo non fuisse permittum. Dauid quoniam sanguine hominum propter bella, quae gessit contaminatus erat templum edificare, sed quam magnam posset facere praeparationem, ut templum a filio eius facilius conderetur. Itaque comparasse ipsum aeris argenti, auri talenta non pauca, lapides etiam & ligna cupressi atque cedri, naues enim eum praeparasse Melanis Arabiae ciuitate, misissetque in insulam

Vrphen

Vrphen in rubro mari positā, auri metallis abūdantissimā, unde in Iudeā innumerabilia pene pōdo auri delata fuisse, regnasseq; dauid annos quadraginta, ac ab eo regnum Salomoni filio duodecim annos agenti traditum fuisse. Impetratumq; ut templum edificaret, a quo iam regnante, ad Vaphrem ægyptij regem, hoc exemplo literas missas fuisse. Rex Salomon Vaphri ægyptio regi amico paterno salutem. Scias me a deo magno Dauid patris mei regnum accepisse. cumq; mihi pater p̄ceperit templum deo, qui cœlum & terrā creauit condere, ut etiam ad te scriberem p̄cepit. Scribo igitur & peto abs te, ut artifices atq; fabros ad edificandum templum dei mittere uelis. Ad hæc Vaphrem sic rescripsisse. Rex ægyptij Vaphres regi Salomoni salutē. Lectis literis tuis non paruo affectus gaudio sum, quod patri tuo optimo uiro & diuinitus probato in regnū successisti. Ad edificandum autem templum dei inter fabros atq; ministros, octuaginta milia hominum ad te destinauī. Dabis igitur operam, ut ordine uiuant, & rebus necessarijs non careāt, temploq; dei condito, incolumes ad nos redeant. Tyrio quoq; regi scriptum fuisse hoc modo. Rex Salomon Saroni, Tyri, Sydonis atq; Phœnicia regi amico paterno salutē. Scias me a deo magno Dauid patris mei regnum accepisse. cumq; mihi pater p̄ceperit templum deo, qui cœlum & terram creauit condere, ut etiam ad te scriberem p̄cepit. Scribo igitur & peto abs te, ut artifices atq; fabros ad edificandum templum dei mittere uelis. Ad hæc Suronem quoq; sic scripsisse. Saron Tyri Sydonis & Phœnicia rex Salomoni regi salutem. Lectis literis tuis, gratias ægi deo, qui tibi regnum patris tradidit. Et quoniam scribis fabros ministrosq; ad condendum templum dei esse tibi mittendos, misi ad te milia hominum octuaginta, & architectum Tyrium hominem ex matre Iudea, uirum in rebus architecturæ mirabilem. Curabis igitur ut necessarijs segeant, & templo dei condito ad nos redeant. Scripsit autem Salomon in Galileam & Samariā ad Moabitas inquit, & Ammanitas, & Galacidas, ut frumēta & uinum centum & sexaginta milibus hominū diligenter subministrarent. Oleum autem a Iudæa eis præbebatur. Ligna igitur primum, quæ a patre ipsius in monte Libani cæsa iacebāt per mare in Iopen, ac inde in Hierosolymā duxisse, incepisseq; templum dei edificare

x iij annos

*Exemplum
Epistolæ
ad Vaphrem
inueniuntur
pro summi ad
pateris*

annos tredecim natum, populosq; predictos in opere iugiter fuisse, & praeter frumentum ac vinum, caetera q̄ necessaria sunt a ludæis per singulas tribus singulis mensibus ministrata, fundatumq; templum longitudinis cubitorum sexaginta, & latitudinis similiter, fundamentorumq; latitudinem decem cubitorum fuisse. Sic enim Nathan dei prophetam iussisse, aedificatumq; templum, totum undiq; a pavimento usq; ad tectum deauratum, & tectum laquearibus factum, & aureis tegulis aeneis de foris contextum, duasq; columnas aeneas altitudini aequales templo decem cubitos in circūitu continentes, auro deauratas soliditate unius digiti, alteram a dextris, alteram a sinistris templi statuisse. Candelabra quoq; aurea talentorum singula decem, ad exemplar eorum, quæ a Mose in tabernaculo facta erant fecisse, & alia a dextris templi, alia a sinistris posuisse. Lucernas autem aureas sexaginta septem, in unoquoq; candelabro factas, & fornicem maximum ad borealem templi partem aedificasse, quæ quadraginta octo aeneis columnis sustentabatur, fecisse etiam labrum viginti cubitorum longitudinis, & latitudinis similiter. profunditas autem cubitorum quinque, gradusq; circumductos construxisse, ut sacerdotes adire, ac pedes & manus lavare possent, posuisseq; ad dextram partem altaris, iuxta quem basim fecisse duorum altitudinis cubitorum, ut in ea rex staret, quo facilius ab uniuerso populo uideretur. Altare quoque fecisse duodecim cubitorum altitudinis, & catenas tanquam retia super omnem templi altitudinem viginti cubitis, instrumentis quibusdam extendisse, a quibus quadringenta tintinabula ærea dependebant. Hoc factum fuisse, ne aues super templum sederent, neque nidos in laquearibus eius facerent, ut templum ab omni foret immunditia incontaminatum. Hierusalem quoq; urbem muris, turribus, ac foueis ab eo fuisse circumductam, regiam quoque ibi aedificasse, quæ Hieron Salomonis, id est latine Salomonis ædes fuit appellata, unde corrupto, postea uocabulo urbem Hierusalem uocatam fuisse, & Hierosolymam græce appellari. Quibus factis, sacrificium deo mille bouum in Sylo fecisse, & tabernaculum altareq; simul & uasa omnia a Mose facta. Inde in Hierosolymam ad templum dei translulisse. Arcam similiter & candelabrum & mensam, caeteraq; omnia, ut propheta p̄cepit, deoq; holocaustum

locatum duo milia ouium, & tria milia quinquagintaque uitorum. Totum autem aurum, quod in templo columnis, ceterisque omnibus templi uasis fuit consumptum, quadragies sexies centena milia fuisse. Argenti uero ad clauos, & alia instrumenta mille duceta triginta duo talenta. Aeris uero in columnis fornicibus ac ceteris talenta decem & octo milia & quinquaginta, misisseque omnes in regiones suas Phoenices simul atque Aegyptios decem auri talenta singulis data. Talentum autem dico inquit, quod Syclum appellant. Et Aegyptiorum quidem regi oleum & mel in magna quantitate misisse. Saroni autem columnam auream, quae Tyri in templo Iouis conspicitur. Unde ille simulachrum filiae fecit, quod in aurea columna imposuit. Mille quoque scuta fuisse a Salomone aurea confirmat: uixisseque ipsum ait annos quinquaginta duos, & regnasse quadraginta. Timochares autem, qui Antiochi res gestas conscripsit, quadraginta stadiis circumduci Hierosolymam asserit, abruptis ualibus undique natura munitam, urbemque ipsam multis aquis adeo irrigari, ut hortos quoque multos extra urbem aquis inde defluentibus irrigari. Ab urbe autem usque ad quadraginta stadia, magnam esse aquarum penuriam. Phyllo autem fontem fuisse in urbe asserit maximum, quod tempore hyemis deficiebat, aestate uero copiosissime defluebat. Aristaeus etiam in libro de interpretatione legis iudaicae, de aquis Hierosolymorum hoc modo scribit. Templum inquit ad ortum respicit, posteriora eius ad uesperam tendunt. Lapidibus autem ornatissime pauimentum templi constratum est, & aqua saepius in templum immittitur, ut a sanguine detergat. Multa enim animalium milia in solennitatibus offerunt. Fons uero copiosissime atque integer in templo ipso scaturit, ex quo magna uis aquarum per cloacas plumbo consolidatas defluit. His ita dictis, non est praetermittendum quod de Hieremia Polyhistor conscripsit Alexander. Temporibus inquit Ioachim, Hieremias prophetauit, qui missus a deo cum Iudaeos aureo simulachro, cui nomen erat Baal sacrificantes reperisset, futuram eis propter hoc calamitatem praedixit, unde Ioachim uiuum iussit cremari. Illum autem dixisse foueas ipsos a rege Assyriorum captos iuxta Tigridem atque Euphraten eisdem lignis facturos. Hac Nabuchodonosorem Babilociorum regem audiuisse, ac a Stibare Medorum rege in auxilium abducto

abducto, centum & octuaginta peditum, equitum cētum & triginti milia ducentem, ac decem milia curruum. Primo Samaritanas omnes urbes, Galileam, Scythopolim, & Galatidem euertisse, dein de Hierosolymā, & Iudaeorū regem Ioachim unum coepisse, & aurum argentum, as, ceteraq; omnia, quae in templo fuerant arca excepta, & tabulis in Babylonem asportasse. Arcam enim inquit Hieremias detinuit. Et rursus post aliqua, Nabuchodonosor inquit p̄dicta moenia edificare coepit, grauiter egrotauit, mortuusq; est post quadagesimum tertium annum regni sui, cui Enimlurchus filius successit. hic propter iniquitatem & lasciuiam a Nerglisaro sororio suo insidijs exceptus, in secūdo anno regni perijt. Deinde filius eius Labeforacus mensibus nouem, quo insidijs interfecto, cōmuni consilio Nabonida insidiatorū unus regnauit, qui Babyloniae muros, q; iuxta fluuium sunt, lateribus & bitumine condidit. In septimo autē & decimo anno regni eius, Cyrus rex Persarum magna manu Babylonios petijt. Nabonida ꝑo regnum suum defensurus, exercitū construxit, & uictus pugna in Borsippum urbem confugit, quam Cyrus Babylone capta obsedit. Sed Nabonida diu ferre obsidionē non potuit, seq; Cyro tradidit, qui q̄humanissime ipsum tractauit, ac in Carmaniam cum dignitate ire iussit, ubi non multo post naturae concessit. Haec iudaicis libris, imo uero nostris conuenire uidentur. Scribit enim in ipsis decimo atque octauo anno regni sui Nabuchodonosorem templum destruxisse, quod secūdo anno regni Cyri restitui coeptum decimo anno regni Darij tandem conditū fuit. Sed Alphœus etiam de Assyrijs, & Nabuchodonosore hoc modo scribit. Megasthenes inquit uir priscus, Nabuchodonosorem Hercule robustiorem dicit fuisse, uniuersamque Libyam, ceteramque Asiam usque ad Armenios domuisse, quem Chaldaei dicunt cum in regnū suum redisset, furore diuinitus captum, magna exclamasse uoce. Futuram o Babylonijs, uobis ego calamitatem praeuocio, quam nec Belus ille, nec ulla uis deorum auertet, ueniet Persa semiasinus, qui uobis afferet seruitutem. His alijsq; huiusmodi dictis, subito euanuit. Cui filius Milma Rudocus successit, quem Iglisares interfecit, ac loco eius regnauit. Cui Babalo Arascus filius successit. Quo insidijs interempto, Nabinidochus regnauit. hunc Cyrus
capta

capta Babylone, Carmania principem fecit. De Babylone quoque Abydemus hæc scribit. Omnia inquit illa loca aquis cõtectã fuisse dicunt. Belus autẽ regionẽ siccasse perhibet, & Babyloniã cõdidisse, quæ incenia aquarũ illuuiõne deleta, Nabuchodonosorus restituit, quæ remanent ad hæc Macedonũ tẽpora. Et post pauca, cum principatum ait Nabuchodonosorus accipisset, cõtinuo Babylonem triplici muro quindecim diebus muniuit, & fluuios Armachalem atque Acrachanũ ab Euphrate ortos obstruxit; paludẽ etiã effodit uiginti passuum altitudinis, parasangarũque quadraginta, portasque in ea fecit, quas Riutenẽtes appellabãt, quibus apertis, Babyloniæ cãpos irrigabãt, rubricque maris inundationẽ obstruxit, & Teredonem urbẽ ad sustinẽdos Arabum impetus cõdidit, & in regia pensiles hortos plãtauit. Hæc ab Abydeno sumere placuit. Quoniã legi apud Daniele m Nabuchodonosorẽ in tẽplo suo ambulantẽ arrogantia motum dixisse. An nõ est ita Babylon magna quã ego in potẽtia mea, ad laudẽ gloriæ meæ in domum regni cõstruxi, & adhuc ista loquẽtem euersum fuisse. Ad hæc omnia illa placet afferre, quæ Iosephus in libro de antiqũtate iudaica dixit. Sufficiunt inquit ad ostendendã antiqũtatem iudaicã Syriõrum simul, & Chaldeõrum, & Phœnicũ scripturæ, & Græcorũ innumerabiles hystorici, maxime Theophilus, Theodotus, Mnasses, Aristophanes, Hermogenes, Euemerus, Comon, ac denique Zophirus, quæ omnes & alij forsã complures (nec em̃ oia ipse legi) diligẽter de nostris cõscripserũt. quorũ multi & si nõnullis aberrarint, cõmuniter tamen ab omnibus antiqũtati nostræ testimoniũ perhibet, quibus Phalereus, Demetrius, & Phylon senior, quæ carmine cõscripsit, ac Eupolemus nõ lõge absunt a ueritate, quibus uenia danda est, quoniã magnã nostrarũ literarũ peritiã non habuere.

EUSEBII PAMPHILI LIBER DECIMVS.



Acc Iosephus & alia huiusmodi multa, quæ breuitati consulentes p̃termisimus, & ad alia trãsire cõstituimus. Nam quoniã quibus rationibus gentilium fabulis cõtemptis, scripturã Hebræorum suscepimus, dictum est, ac ipsos Græcos, & uitam, & doctrinam Hebræorũ admiratos fuisse, auctoribus suis demonstratum. Age iam de
y claremus